N. 33.

75

COLLEGAE CARISSIMO ET CONIUNCTISSIMO

CAROLO GODOFREDO GEBAUERO

VITAE MAGNA OMNIS GENERIS LAUDE ORNATAE

ANNUM SEPTUAGESIMUM PRIMUM

DIE VIII. M. IUN. ANNI MDCCCXLV

FELICITER EXPLETUM

AMICISSIME GRATULANTUR

GYMNASII BUDISSINI MAGISTRI

INTERPRETE

ERNESTO FRIDERICO LEOPOLDO.

BUDISSAE.

EX OFFICINA MONSIANA.

SLUB
Wir führen Wissen.
http://digital.slub-dresden.de/id483134414/2
Serbski institut Sorbisches Institut

76

Coelo per virides agros sereno
Me decurrere nuper otiosum
Novo flore rubens Caina iussit.
Ac circum speculabar ante portam,
Quantum Chloride iam Ceres iuvante
Afflaret varios agris honores;
Et quam consona Naias Lusata
Anfractu Dryades vago rigaret;

SLUB
Wir führen Wissen.
http://digital.slub-dresden.de/id483134414/3
Serbski institut Sorbisches Institut

Vulcanusque quid ardui laboris
Tentaret, super aggere arcuato
Ut ventis rapidis citatiorem
Ferrea caperet via volatum.
Multum multa animo calente volvens,
Iam lentum ulterius gradum ferebam:
Noster ecce! venit vetus Colonus,
(Nomen quem fugiat patris colendi?)
Et me suaviter, ut solet, vocatum,
„Unde et quo? quid agis?“ manu salutat
Arrepta. — Via recta me trahet nunc
Ad villae requiem. — „Nimis remota
Ne sit! me vetulos pedes ad amnem
Per vicina iuvat vireta ferre.
O quantum renitet per ampla rura,
Et quodcunque rogat Deum colonus,
Cornu divite fundit alma Tellus!
Quin una iuvenescit ad Favoni
Afflatus placidos iners senectus.“ —
O Tu vel pueros calore vincis;
Semper sic oculi micant alacres,
Et fervet iuvenile pectus intus. —
„Crines inficiunt arantque rugis
Anni iam faciem: senescit ardor,
Quo flagrare velim ac domare mentem
Morosam.“ — Quid ais? vigere prisca

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id483134414/4 Serbski institut Sorbisches Institut

Te virtute negas? Tuoque ab ore
Non pendet solita fide iuventus?
Senectae fuge conqueri decorem. —
Sic nos garrula corda mutuatos
Monet reddita dextra tandem abire.
At mecum meditor reverso amico,
Quo quondam Genius scholae benignus
Nato laetitia Lares replevit,
Quem Musis puerum probum dicavit,
Ad Phoebique virum reduxit aras,
Nec non stat vegeto seni patronus.
Quot duxit dociles choros verenda
Hic ad sanctum Helicona caritate!
Quamvis fugerit Ipsum Amor rebellis,
Non in corde tamen silex minatur,
Sed quicquid loquitur, leves lepores
Iucundo movet ore candidosque,
Dii, credo, dederunt sales labellis.
Hinc quicunque petit bonum Magistrum,
Seu leni admonitu regendus audit,
Seu vult iussa subire lege dura:
Nunquam non didicit ducem peritum
Amplecti pietate sempiterna;
Ac mentes memores imago patris
Grates solvere debitas dòcebit.
At quos munus idem dedit sodales,

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id483134414/5 Serbski institut Sorbisches Institut

Gaudent Hunc socias tenere partes;
Multo perpetui fides amoris
Certat pignore, nec salubre foedus
Grato extendere desinet favore.
Sic Hic intemerato honore florens
Post septem geminata lustra Solem
Iam meare iterum videt per astra.
Tantum emensus iter bene auspicatum
Vitae, Nestoris ut sonos facetos
Aequat, sic Pylios dies habeto.

37
Mzb XXII 11 B
http://digital.slub-dresden.de/id483134414/6
SLUB Wir führen Wissen.
Serbski institut Sorbisches Institut

SLUB
Wir führen Wissen.
http://digital.slub-dresden.de/id483134414/7
Serbski Sorbisches
institut Institut